

*Quæ qualis sit in Deo scientia, &c. 93*

rum eventis ad hujusce Orbis administrationem spectanti-  
bus.

Quod autem postmodum afferatur exemplum de Rege, cui suf-  
ficit ad regiminis sapientiam scire quid agendum sit in casibus  
absolutè futuris, nihil habet quod urgeat: quatenus haud dubiè  
sapientiis se gereret, si nosset etiam quid agendum esset in casi-  
bus futuris conditionatis; sic enim haberet sapientiam amplio-  
rem. Quomodo enim non esset amplior sapientia Regis, qui pra-  
tèr modum, quo dimicari debeat contra Persas, & alium nosset,  
quo dimicari soleat contra Indos? Atque ita nunquam obest,  
sed semper prodest rerum in casibus licet mèrè conditionatis  
agendarum notitia; vel præsertim quia res agendæ in casibus, &  
conditionatis, & absolutis, magnam habent affinitatem. Unde  
fit ut homines qui sapiunt, multum cogitent casus conditiona-  
tos & plurimos, ut sic se parent ad absolutos.

Tuū ad solutionem difficultatis quæ additur, quod jam dic-  
tum est, si attenditur, sufficit: quatenus quò plures possunt  
fieri suppositiones, & quò plura sunt, quæ sciuntur juxta sup-  
positiones illas, eò major est mentis intelligentia, per quam  
proinde mens sapientius, & ideo utilius regitur in operibus  
suis. Quare haud dubiè Deus sapientius Mundum hunc condi-  
dit, habendo in conspectu innumeros, quos condere potuisset,  
quam si ex illis nullum novisset. De cætero nullius est roboris pa-  
ritas quam Adversarius peti ex Architecto cogiente nimis ædifi-  
cia, quæ fieri conveniret pro hominibus alterius temperamenti  
atque staturæ; quia licet utilius alia tantum cogitarer, quæ com-  
moda essent posteris temporiem atque staturam habituris nostræ  
consimilem, nihilominus posset ex architectura illa extranea ali-  
quid utilitatis in nostram transferri per observatas, ut par est,  
proportiones.

Tandem quod multum interest pro his & similibus difficultati-  
bus solvendis, nulla est veritas etiam conditionata, quam non  
præstantius sit & utilius sciri, quam nesciri: nescientia enim  
nulla utilitas, nulla præstantia; & ideo quia tribendum est Deo  
quidquid cogitari utilius potest atque præstantius, vel ex hoc  
uno argumento valde convincitur admittendam esse in Deo uni-  
versalem illam atque certissimam, pro qua hucusque cerratum est,  
scientiam de futuris omnibus necessariis conditionatis. De futu-  
ris conditionatis liberis jam agetur.

XXXVIII.  
Hinc etiam  
Rex melius  
administra-  
ret Regnum,  
si nosset quid  
agendum  
haberet in  
casibus con-  
ditionatis.

XXXIX.  
Qualiter  
haec scientia  
conditiona-  
tormageat  
& perficiat  
intelligen-  
tiā mentis,

X.L.  
Sicque  
longè me-  
lius est talia  
conditionata  
sciri, quam  
nesciri.